בש"ש

RECTORE MAGNI

SERENISSIMO PRINCIP

D O M I

FRIDERICO

PRINCIPE REGIO, ET ELE

ETC. ETC.

DISSERTATIONEM PHILO

DE

יעקב ולבן

h. e.

IVRAM

IACOBI, ET

OCCASIONE GE

AD D. VI. SEPTEMBR. M DCC X

IN AVDITORIO P

PLACIDO ERVDITORVM EX

M. GERHARD. HERM

OLDENBVR

ET

CHRISTIANVS

KEMB. SA

VITEMBER

LITERIS SAMVELIS

בש"ש

GNIFICENTISSIMO,

RINCIPE, AC DOMINO,

M I N O

O AVGVSTO,

ETELECT. SAX. HEREDE,

ETC. ETC.

PHILOLOGICO - MORALEM

DE

שבועה יע

h. e.

MENTO

ET LABANI,

E GEN. XXXI, 53.

M DCC X. HORIS POMERIDIANIS

IO PHILOSOPHICO

ORVM EXAMINI SVBIICIENT

HERMAN. MENCKE,

NBVRGENSIS.

ET

NVS Korge/

IEMB. SAX.

EMBERGAE,

IVELIS KREVSIGII.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-MORALIS

DE

IVRAMENTO IACOBI, ET LABANI.

PROOEMIVM.

Labanus, profundissimo idololatriae coeno immersus, Iacobi et avunculus, et socer, sed acerrimus insimul hostis ac persecutor, ex Padania, Mesopotamiae parte oriundus, Parentem nactus est pariter idololatram, Bethuelem Syrum, Nachoris filium, qui Rebeccae, Jacobi Matri fraterno vinculo erat copulatus. Hic, quantum quidem ex Sacrarum Literarum Pandectis cognoscere licet, duas genuit filias, alteram Leam, alteram vero Rachelem. Iacobus, Paternae benedictionis memor, a gravissima fratris Esavi excandescentia haud parum sibi metuens, Matris suae instinctu iter ad Labanum instituit, apud quem amore erga Rachelem captus, cum a Labano seductum se esse animadverteret, quatuordecim integros annos duro servitutis iugo premi voluit. Labanus vero, posteaquam gregi suo custodiendo Iacobum praefecerat, Divinam, qua Clementissimum Numen eum ditaverat, benedictionem eidem tantopere invidebat, ut fronte nubila, atque rugosa animum a Iacobo alienissimum satis perspicue indicaret. Quae res pientissimum Iacobum permovit, ut una cum uxoribus, omnique facultatum copia, clandestina se his ex oris fuga subduceret. Quam fugam cum percepisset Labanus, post triduum magna eum celeritate persequi aggressus est, cuius et post absolutum septem dierum spatium compos tandem factus est. Licet vero saevissima flagraret ira, a Deo tamen sanctissimo per somnium admonitus, ne duris Iacobum verbis alloqueretur, foedus cum eo pepigit, et iuramento confirmavit. Atque hoc Labani iuramentum summa argumenti erit, quod pertractandum nobis, divino freti auxilio, sumsimus, ita quidem, ut in priori sectione, *quam* Philologicam *inscribimus in Gen. XXXI. 53. breviter inquiramus, reliqua vero in* sectione *quae* moralis *est, persequamur. Deus labores nostros secundet!*

SECTIO I. PHILOLOGICA.

§. I.

Sic itaque, priusquam ad reliqua digrediamur, omnino opus est, ut evincamus, hanc Iacobi, et Labani asseverationem *iuramentis* esse annumerandam. Dubium forte illud cuidam videri posset, cum invocatio Numinis Omniscii, et Καρδιογνώστου, tanquam testis, et iustissimi, atque Potentissimi Vindicis essentialem iuramenti partem constituat, quam etiam ob causam FRANZIVS *de interpretatione Scripturae S. oraculo CXLIX. p. 922.*

quasi iuramentum illud appellare non dubitat. Quamvis autem facile largiamur, iuramentum idololatricum ratione sui verum, et validum dici non posse: Illud tamen firmo stat talo, ratione finis, et intentionis, adeoque valore, et effectu verum, et obligans illud esse iuramentum. Quare hac quidem occasione de variis iuramentorum apud Iudaeos generibus pauca edisserere, non incongruum erit. Et hic distinguendum esse crediderim inter iuramenta, quatenus a superioribus demandata, et quatenus sine Magistratus iussu sponte iureiuranda dicuntur. Priore significatu BVXTORFIVS *in Lexico Talmudico, p. 626.* triplex Rabbinos statuere iuramentum asserit, scilicet שבועה דאורייתא, iuramentum legis, sive lege Mosis praescriptum, שבועה דיינים, iuramentum iudicum, a iudice delatum, שבועה סופרים, iuramentum scribarum, sive legisperitorum, quod alias etiam vocare consueverunt שבועה מדברי סופרים, vel שבועה דרבנן. Praeter haec aliud adhuc esse iuramentum, ordinatum posterioribus temporibus, a sapientibus Talmudicis, quod, etiamsi a iudicibus delatum sit, non tamen vocetur שבועת הדיינים, iuramentum iudicum, sed שבועת היסת, iuramentum impositionis: Illud autem esse iuramentum doctum, et supra commune aggravatum, certis verbis conceptum et personae a iudice impositum, ad extorquendam veritatem. Quae vero significatio h. l. non obtinet, cum nostro in oracula nec vola, nec vestigium appareat, ex quo, hoc iusiurandum Iacobo, et Labano a superioribus esse delatum, tuto colligere liceat. Quare ad posteriorem significatum evolvendum, propius nunc accedimus; *in quo* OTHO *in Lexico Rabbinico Philologico, p. 305. seqq.* et LIGHTFOOTVS *in horis Hebr. in Evangelium Matthaei, p. 292.* quatuor nobis iuramentorum classes exhibent: שבועת ביטוי, iuramentum promissorium, שבועת שוא, iuramentum vanum, שבועת הפקדון, iuramentum de deposito, et שבועת העדות iuramentum testimoniale. Conf. OVTRAMVS, *de sacrificiis, l. 1. c. 12. p. 133.* Supervacaneum esset, praesertim, cum chartae angustia illud prohibeat, si me in prolixa variorum horum iuramentorum explicatione diffunderem: Sufficit, quod h. l. iuramentum intelligi promissorium, liquidissimum sit. Iuramentum igitur promissorium appellabant, quando aliquis dicebat, et sancto confirmabat iuramento, se hoc, vel illud facturum, vel non facturum, להרע או להיטיב sive malum, sive bonum effecturus sit. Hoc vero iuramentorum genus in quatuor iterum species subdividebant, quarum duae erant de praeterito, duae de futuro. Quod ultimum h. l. intelligi, in disco solis positum est. Varias quoque iurandi species, apud Hebraeos usitatas, observat BVXTORFIVS *in Lexico Chald. Talmud. et Rabbinico, p. 2314. seqq.* dum alii iurabant per vitam Regis, alii per coronam Regis, alii per caput proprium, alii per templum, alii per altare, alii per cultum Dei, alii per fidem, alii per coelum, alii per terram, alii per solem, alii per Prophetam aliquem, alii per libros sacros, alii per legem Mosis, alii per decalogum, alii per

Mosen,

Mosen, alii denique per vitam Rabbinorum, quae omnia, exemplis illustrata, fusius l. c. proponuntur. Labanum vero nostro in oraculo non per ullam creaturam, verum per Deum, licet falsum, iurasse, ex infradicendis clarius patebit. Nec desunt, qui varios Iudaeorum ritus, in praestandis iuramentis sedulo, et data opera annotarunt. Sic B. GEIERVS *in comment. in Dan. c. XII. 7.* elevationem manuum ambarum adversus coelum, quae coelestis Numinis et praesentiam, et vindictam in animum illis revocabat, ex *Gen. XIV. 22.* demonstrat. Conf. GODWINVS *in Mose, et Aaron, L. 6. c. 6. de iureiurando p. 505.* Quod tactis phylacteriis iurarint Iudaei, ex MAIMONIDE *in Schevuoth, c. 11.* quodve introducatur Deus, per phylacteria iurans, ex TANCHVM *f. 6. 3.* demonstrat LIGHTFOOTVS *in horis Hebr. in Evang. Matthaei, ad c. XXIII. 5. p. 357.* Qualis vero istiusmodi in iuramentis adhibitus fuerit ritus, nobis determinare integrum non est, cum silente scriptura, nihil certi, atque apodictici hic affirmari possit.

§. II. His praelibatis, ad ipsa commatis nostri verba, pro instituti ratione breviter explicanda B. C. D. nos accingimus, et, cum conspectui nostro primum sese offerat vocabulum אלהי, non possumus non, quin summam statim notemus CAIETANI apud PFEIFFERVM *in Thesauro Hermeneut. p. 579.* imperitiam, quando exinde argumentari non veretur, quasi vox haec singulari careat. Bis enim, ut alia loca silentio praeteream, plene Sacro in Codice legitur אלוה *Deut. XXXII. 15. Psal. L. 22.* Non inanis interim ista est, quam nobis HOFFMANNVS circa hanc vocem *in Lexico Universali, T. II. p. 148.* suppeditat, observatio, cum maxime Deo tribui vocabulum אלהים asserit, ubi respicitur ad ipsius cum homine foedus, et ubi fidei nostrae, per quam Deo iuranti adstipulamur, fit professio, ut patet ex *Gen. XVII. 37.* et *Deut. XXIX. 12. 13.* Nec minus eleganter huc quadrat, quod CASTELLVS *in Lexico heptaglotto p. 119. 120.* annotavit, אלהים esse nomen iudicii, יהוה vero nomen gratiae. Atque ex hoc exemplo apodictice colligitur, nullum prorsus iuramentum sine Divini Numinis invocatione esse praestandum. Hinc et VATABLVS cum CALVINO *in h. l.* notat: *Laban per Dei nomen adiurat Iacobum; haec enim est foederum sanctitas, Deum utrinque advocare, ut inultam perfidiam non sinat.*

§. III. Sed gravis hic incidit quaestio: Verusne per Deum Abrahae, an fictitius intelligi mercatur Deus? Dici non potest, in quot sententiarum divortia hic abeant Autores. Verum intelligit Deum TOSSANVS *in annotationibus Biblicis*, *ad h. l.* VATABLVS, et CALVINVS *ad h. l.* SEB. SCHMIDIVS, *in comment. in Gen. ad h. l.* MARTIN. *in Bibl. Gall. in h. l.* BECHMANNVS *in casibus conscientiae, p. 369.* MENOCHIVS *in comment. Scripturae S. p. 91.* CORNELIVS a LAPIDE, *ad h. l. p. 247.* MVSCVLVS *in comment. ad h. l. p. 681.* BROCHMANNVS *in Syst. T. II. p. 34.* RIVETVS *in comment. ad h. l.* PELARGVS *in Gen. p. 503.* PELLICANVS *in comment. Bibl. ad h. l.*

POLYCARPVS LYSERVS *in comment. in Gen. P. IV. p. 135.* SIMON PATRICK *in Comment. in h. l.* ANTONIVS VAN DALE, *de divinationibus idololatricis, c. XI. p. 674. 675.* Sic et ex Hebraeorum Magistris *Autor τῦ Bereschit Rabba, ad h. l. f. 48.* per Deum Abrahae verum intelligendum esse Deum, defendere allaborat. FRANCISCVS IVNIVS autem, atque IMMANVEL TREMELLIVS *in annot. Bibl. ad h. l.* una cum GEDICCO *in der Auslegung des ersten Buches Mosis ad h. l.* defectionem Abrahae oblique his verbis perstringi existimant. Falsos autem, atque fictitios hic intelligendos esse Deos, GERHARDVS *in comment. in Gen. ad h. l.* CALOVIVS *in Bibliis illustratis*, nec non *in comment. in Gen. ad h. l.* SIMON MVSAEVS *in der Erklärung des ersten Buches Mosis ad h. l.* VINARIENSES, SELNECCERVS *in h. l.* PISCATOR, *in h. l.* adstruunt. Conferantur *annotationes in V. T. e Bibliotheca Iohannis, Archi-Episcopi Ebor. per* ANTONIVM SCATTERGOODVM *editae*, ubi ex h. l. *liquere* asseritur; *Abrahamum olim idololatram exstitisse: Ios. XXIV. 14. ceteroquin hoc iuramentum Iacob non immutasset.* τὸ ἐπέχειν vero hac in sententia arripere videtur D. TERSERVS *in annot. ad h. l. Verba Labani,* inquit, *ambigua sunt; dubitari enim potest an intelligat Deos alienos, quos Patres eorum coluerunt in Mesopotamia, Ios. XXIV. 2. vel, an Abrahami et verum Deum cum iis coniungat.* Dubius etiam videtur PAREVS, qui *in comment. in Gen. ad h. l. p. 1720.* inquit: *Intelligit Deum quem coluerat Abraham ante vocationem, erat quidem is verus Deus, sed nec recte agnoscebatur, nec colebatur a Laban.*

§. IV. Iam itaque, ubi diversas variorum exposuimus sententias, quaenam nobis prae ceteris arrideat, explicandum restat. Nobis certe, salvis aliorum iudiciis, videtur, אלהי אברהם verba pro falsis, atque fictitiis h. l. supponere Diis. Quamvis enim non diffitear, et ambabus TERSERO manibus largiar, ambiguam maxime, et dubiam hanc de diis Abrahami phrasin videri; tutior tamen, me iudice, aliorum sententiis illa est, qua idola, fictitiosque adeo Deos intelligi statuitur. Vix siquidem credibile est, et cum summa, qua etiam pagani iureiuranda complecti solebant, religione, conciliari nequit, Labanum in ipso iurandi actu adeo perverso fuisse animo, ut illud Numen, quod nunquam ut verum sua opinione Deum veneratus fuerat, religiose invocare voluerit. Summus namque fuit idololatra, quod vel ex inaudito illo erga Teraphim, Deos suos, affectu ex abundanti colligere licet. Quinimo suum a Deo Iacobi dissensum, palam testatur, *Gen. XXXI. 29.* dum non *suum*, sed *vestri* Patris Deum illum appellat. Non equidem negaverim, eum quandam erga verum Deum simulasse venerationem, quo Iacobo gratificaretur, eumque ad sui pertraheret imitationem, dum a duris quam maxime sibi temperabat verbis. Verum enimvero, licet inficias prorsus non iverim, multis paganos usos fuisse simulandi rationibus, quando privatos intra parietes sermonem cum aliis serere datum istis

fue-

fuerat: Id tamen exinde nondum evincitur, quod in ipsis quoque iuramentis eandem adhibuerint calliditatem, quae adeo sancta illis erant, ut ne minimam quidem temeritatis speciem concederent. Quodsi ergo fidem dictis facere voluit Laban, per eos utique iuravit Deos, quos, licet erronee, pro veris semper agnovit.

§. V. Quisnam vero per אלהי נחור, Deos Nachoris, explicandus veniat, facilius iudicatu est, siquidem non verum Deum, sed idola potius h. l. intelligenda esse, in propatulo est, id quod etiam demonstrarunt TOSSANVS *in denen Biblischen Glossen, ad h. l.* IVNIVS et TREMELLIVS *in annot. ad h. l.* et MARTIN. *in Bibl. Gall. in h. l.* Nullibi enim in Sacris Literis legimus, Tharam vel Nachorem unquam ad Sacrum conversum fuisse coetum. Hinc non facimus cum PVFENDORFIO, qui *in opere suo, de I. N. et G. l. 4. c. 2. §. 4.* per Deos Nachoris verum intelligendum esse Deum contendit. Sentimus potius cum DITHMARO, qui *in constitut. de iureiurando, p. 19. seqq.* hoc de PVFENDORFIO fert iudicium: *Dubito, an recte: Maiores enim Abrahami idola coluisse, Iosua testatur, c. XXIV. 2. Hinc* ABEN EZRA *ad h. l. ita commentatur:* לבן אמר על אלהי נחור אבי אביך שהיה עובד ע"ז וכן העיד יהושע: *h. e. Laban dixit Per Deos Nachoris, Patris tui, qui erat cultor idolorum, uti testatur Iosua. Calculum ei adiecit* R. SALOMON IARCHI, *qui ad* אלהי נחור *Deos Nachoris, scribit,* חול *i. e. profanos, sive alienos.*

§. VI. Quid ישפטו notio, quae proxime in commate nostro sequitur, sibi velit, quamve iuxta linguam authenticam pariter in plurali transtulit Targum Onkelos, licet in singulari transferre maluerit Versio Syriaca, Samaritana, Arabica, LXXviralis, et vulgata, de eo ut porro dispiciamus, necesse est. COCCEIVS *in Lexico* verbum שפט late notare existimat omnem ordinationem, et discretionem; in Niphal vero disceptare et contendere. Quam quidem explicationem, utut prorsus non reiiciamus, eandem tamen sufficientem omni ex parte non esse, non sine causa arbitramur. Magis itaque nobis arridet MERCERI, cum quo et FORSTERVS *in Lexico* sentit, huius verbi expositio, qua per iudicare illud interpretantur, quando scilicet ex legum praescripto ius dicitur, causa iuste diiudicatur, et rite controversiae dirimuntur, ut boni defendantur, mali condemnentur, et puniantur. Conf. SCHINDLERVS *in Lexico Pentaglotto p. 1922.* Et hanc quidem definitionem cum ambabus suis partibus colligit ex *1. Reg. C. III. 9. C. VIII. 32.* Satis ingeniose haec verba *παραφράζει* MARTIN *in Bibl. gall. in h. l. Iugent,* inquiens, *soyent vengeurs de l' infraction de nostre traité, contre celui, qui viendra, à le rompre.* Quod vero in plurali legitur ישפטו, illud quibusdam insolens videri poterat, siquidem iste alias mos perpetuo ferme in Scriptura S. obtinet, ut nomen אלהים verbo iungatur in singulari. Sed hic luculentissimum apparet *ἀκριβείας* Scripturae S. indicium: Quo enim idola a vero Deo eo aptius, etiam qua constructionem, distingui possint, Spiritus Sanctus adeo accurate haec distinxit, ut, cum de vero aeternoque Deo sermo est, verbum in singulari,

gulari, cum vero de falsis Diis, atque nomine tenus saltem talibus, verbum in plurali numero positum adhibeatur. Conf. CLARIVS, et MARLORATVS *in h. l.*

§. VII. His absolutis, ad illud nobis accedendum propius est, quod dicitur: אֱלֹהֵי אֲבִיהֶם Dii Patris eorum. Mirum sane est, haec ipsa verba a LXX. interpretibus sua in versione fuisse omissa, quae tamen in Orientalibus versionibus, (excepta Samaritana, quae in eius locum substituit: Deus Abraham) studio expressa esse videmus. Rei huius rationem CLERICVS *in comment. ad h. l.* eam reddit, quod genuinum horum verborum sensum non fuerint assecuti. LVTHERVS cum Targum Onkelos, et Versione Arabica in plurali transferre maluit, *der GOtt ihrer Vater.* Syriaca Versio specialiter transtulit: Deus Patrum nostrorum. Sed accuratius Anglus expressit: The God of their Father, et Gallica versio: Les Dieux des leur pere. Quosnam vero per Deos Patris eorum intelligere voluerit Labanus, extra omnem dubitationis aleam positum erit, si evolvamus *Gen. XI. 27.* ubi hanc phrasin pro nemine alio, quam Theracho, Patre Abrahami, atque Nachoris supponere deprehendemus. Verum namque Deum Tharam et Nachorem nunquam coluisse, vel solo Iosua teste *c. XXIV. 2.* intrepide affirmamus. Conf. CALOVIVS *in der deutschen Bibel*, GERHARDVS *in comment. in Gen. ad h. l.* et CORNELIVS a LAPIDE *ad h. l. p. 247.*

§. VIII. Ad ipsum itaque Iacobi iuramentum dum viam propius paramus, sicco praetereunda pede non est accuratior verbi שׁבע consideratio. Quid sit iurare, edocet nos MARTINIVS *in Lexico Philologico, T. I. P. II. p. 70. Iurare*, inquiens, *est aliquid confirmare, Deo teste invocato; quod non debet fieri, nisi ubi opus est, vel asserendo aliquid simpliciter, vel promittendo.* Singularis vero, maximeque notanda est flexio, quam circa verbum שׁבע Sacris in Literis observamus, dum ubique ferme passivam Niphal flexionem loco activae Kal animadvertimus. Hinc FORSTERVS *in dictionario Hebraeo* ait: נשׁבע *voce passiva significationem habet neutralem.* Et MERCERVS *in Lexico Hebr.* non inerudite observat: *Passiva voce, quasi dicas, iureiurando obstringi, quod nemo, inquiunt, iurare, nisi coactus, solenniter debeat.* Inde etiam GODWINVS *in Mose et Aaron l. 6. c. 6. de iureiurando, p. 506.* docet, *non cito, et incaute suscipiendum esse iuramentum, sed tantum, si sit necessitatis vi impositum, nam et vox Hebr.* נשׁבע *passiva est, potius significans iurari, quam iurare.* Conferatur CASTELLVS *in Lexico heptaglotto p. 3679.* Nec abludit ab hac sententia AVENARIVS, ita scribens: נשׁבע *iuravit cum passione, nam iurare non est res levis, sed dura, et fit cum passione quadam, vel, quod nemo debeat temere iurare, nisi a Magistratu coactus, aut propter utilitatem proximi, aut ad tuendam veritatem.* Si in vocis huius originem paulo diligentius inquiramus, vix commodiorem deprehendemus ea, quam nobis suppeditat MERCERVS *l. c.* quando a septenario numero verbum hoc derivat, idque cum FORSTERO eam ob causam, quod iuramenta fieri debeant, et fieri solita sint, multis adhibitis, et idoneis, mul-

tumque

tumque confirmatis testibus, et caussis. Conf. SCHINDLERVS *in Lexico, p.179.* et COCCEIVS *in Lexico, p.422.* Eleganter propterea GLASSIVS in Philol. S. p. 825. verbum שָׁבַע a שֶׁבַע, septenario numero derivari existimat, quod hic pro perfectionis numero habeatur, forsan, quia iuramentum perfectissima rei confirmatio sit. Aliam addit rationem GODWINVS *l. c.* ubi eam ob caussam a septenario numero deducendam esse hanc vocem arbitratur, quod veteres, sibi iurantes, adhibuerint symbola, non singula, sed septemplicia, tanquam perfecto numero. Idem HERODOTVM citat *in Thalia, c.8.* qui, Arabum foedera describens, memorat, eos iurantes septem lapides sanguine tinxisse. Imo, quo eo magis convenientiam huius verbi cum numero septenario ostendat CASTELLVS *l. c. Primum*, dicit, *quem legimus iurasse, ac iuramentum septem agnarum dono confirmasse Gen. XXI. 28. fuisse Abrahamum, tertium ab Adamo septenarium Luc. III. numerum esse sacratissimum, nec minus sacrum iuramentum, quod qui violaverit, a septem se excludere rebus, iuxta Cabbalistarum pronunciatum, a vita, pace, sapientia, divitiis, gratia, semine, imperio,* quae tamen suo loco relinquimus.

§. IX. Ne vero illud, quod plurimorum torsit ingenia, praetermisisse videar, omnino etiam de timore Isaaci paucis agendum erit. Priusquam vero ad genuinum horum verborum sensum eruendum digrediamur, non iniucundum forte, nec inutile erit, si de ipsa vocis פַּחַד significatione nonnulla praemoneamus. Radix פָּחַד notat: Pavere, formidare, timere, expavescere, trepidare, metu mali, vel reverentia, stupore, seu admiratione. Sed ipsum nomen פַּחַד duplicem obtinere solet significatum. Mox enim notat pavorem, mox testiculos, pavoris sedes, observante CASTELLO *in Lexico heptaglotto*, et REVCHLINO *in Concordantiis.* Et posteriorem quidem significatum, ex usu Chaldaico, obtinere, demonstravit iam tum GVSSETIVS *in comment. Linguae Ebr. p. 672.* Cum itaque, priorem hic retinendum esse significatum, conveniens sit, ad illud merito suo hic attendimus, quod FORSTERVS *in dictionario Hebr.* observat. Ostendit enim ibidem, quod et haec significatio non omni careat exceptione; dum פַּחַד aliquando non tam denotet pavorem, quam ipsum Deum, cui soli pavor, i. e. cultus, et reverentia debeatur. Et hunc quidem significatum h. l. omnino obtinere, cum FORSTERO observat COCCEIVS *in Lexico Hebr. et Chald.* SCHINDLERVS *in Lexico Pentaglotto, p.1435.* imo infra citandi Autores istud sat liquido demonstrant. Tota certe controversia ex phrasi Scripturae S. quam optime, facillimoque decidi potest negotio, siquidem per שבע in Niphal, et Hiphil, quando cum ב construitur, observante GVSSETIO *in comment. Ling. Ebr. p. 820.* obiectum, per quod iurandum erat, potissimum designatur.

§. X. Cum itaque varias variorum de timore Isaaci expendere allaboremus sententias, strictim statim annotamus, quod in eo plurimi conveniant, quasi generatim Deus sub dicto nomine intelligendus veniat. Sic LIRA *in comment. in Gen. ad h. l.* HACKSPANIVS *in notis Philologico-Theologicis, in h. l.* MARTINIVS *in Lexico Philol. T. II. p. 194.* AVGVSTINVS *l. 1. qq. super Gen. qu. 100.* MVSCVLVS *in comment.*

ment. ad h. l. p. 682. GESNERVS *in comment. in Gen. p. 602.* PAREVS *in comment. in Gen. p. 1720.* SIMON PATRICK *in comment. in h. l.* GLASSIVS *in philologia S. p. 1496.* SEB. SCHMIDIVS *in comment. in Gen. ad h. l.* TESSERVS *in annot. in Gen. ad h. l.* HVGO *in comment. super Gen. ad h. l.* DRVSIVS *in v. 42.* VATABLVS *in v. 42.* CASTALIO *in h. l.* CLARIVS *in h. l.* MENOCHIVS *in comment. Scripturae S. p. 19.* per Deum, quem Isaacus timuit, hanc phrasin uno ore interpretantur. Imo plurimi etiam Latinorum vocabulum Deus hanc ob phrasin a Graeco δέος originem trahere arbitrantur. Conferantur *Annotationes in V. T. ex Bibliotheca Iohannis, Archi-Episcopi Ebor. per* ANTONIVM SCATTERGOODVM *editae, in h. l.* ubi similiter timor de Deo, occasione loci *Psal. CXXX. 4.* asseritur. Atque timor Isaae per metonymiam nihil aliud est, quam ipse Deus expavescendus, et timendus, quem Isaacus metuit, unde Hebraei in precibus suis hoc repetunt: עננו פחד יצחק, exaudi nos, pavor Isaac. Dicitur itaque Deus timor ea phrasi, qua affectio, seu passio pro suo obiecto ponitur, ut amor pro re amata: Item spes et gaudium, pro ipso Deo, in quo et spes omnis, et gaudium quodcunque nostrum quaerendum est.

§. XI. Propius, nisi nos omnia faliunt, ad rem accedit STRIGELIVS *in h. l.* quando ipsum Dei Filium per timorem Isaaci intelligit, quia scilicet Isaacus omnes cultus in agnitione, et fiducia Mediatoris praestitit. Adstipulatur huic PELARGVS *in Gen. p. 503.* POLYCARPVS LYSERVS *in comment. in Gen. P. IV. p. 135.* B. CALOVIVS, qui insimul ad locum, *Esa. VIII. 13.* cum GERHARDO *in comment. in Gen. p. 603.* SELNECCERO *in comment. in Gen. p. 654.* QVISTORPIO *in annotationibus Biblicis, ad v. 42.* MARTIN, *in Bibl. Gall. ad v. 42.* RIVETO, *ad v. 42.* CORNELIO a LAPIDE *ad v. 42. p. 247.* et PERERIO *in comment. in Gen. ad v. 42. p. 817.* provocat. Et sane, locum hunc de ipso Messia explicandum esse, et antecedentia, et consequentia, imo vel immediate subsequens versus demonstrare potest. Ipse quoque B. LVTHERVS noster mysterium Trinitatis hic observat, ut adeo nulla appareat ratio, cur ab hac nobis recedendum sit sententia.

§. XII. Aliena autem, nimisque longe petita videtur sententia, quam defendere conatur IVNIVS, atque TREMELLIVS *in annot. Bibl. ad h. l.* quasi scilicet ad illum respiciatur pavorem, quo quasi freno Deus Isaacum cohibuit, ne collatam Iacobo benedictionem revocaret: Quam etiam amplectitur sententiam MARTINIVS *in Lex. Philol. T. II. p. 194.* Hoc enim factum cum fuerit singulare, et ignotum Labano, vix probabile est, in eo Isaaci timorem constitisse, quem iureiurando suo Iacobus innuat, ut benedictionis suae, Iacobo collatae, memor esset. Necessarium praeterea erat, Deum significari communi nomine iis omnibus, quorum erat Deus. QuemadmdoumDeus ita diciturDeusAbraham, ut insimul etiam sitDeus omnium posterorum Abraham: Sic idem Deus timor Isaaci dicitur, ut etiam Deus sit omnium posterorum Isaaci, i. e. fidelium omnium. Atque hinc sine dubio est, quod

commu-

communiter omnibus Israelitis dictio haec applicetur, *Esa. VIII. 13.* uti solide, et accurate colligit RIVETVS *in comment. ad. h. l. in v. 42.*

§. XIII. Si in causas inquirere velimus, cur Iacobus Deum timorem Patris sui vocet, R. SALOMON IARCHI existimat, eum vocatum fuisse timorem, non vero Deum Isaaci, quia Isaac adhuc vivebat: Deum autem nomen suum iustis, adhuc viventibus, non tribuere. Quod vero quam falsum sit, longa refutatione non indiget, cum vel unicum Abrahami exemplum (ad quem vivum Deus dixit: Ego sum Deus Tuus) contrarium evincere possit. Nec ea ratio, quam nonnulli ex Hebraeorum Magistris afferunt, ac si ideo illud factum sit, quod Isaac adhuc in vita exstiterit, unde necesse illi fuerit, ut in timore, ac tremore Dei vitam suam traduceret, plausum eruditorum invenit, qui et ab istis, qui ad eum respici cum MOSE GERVNDENSI et SCHINDLERO *in Lexico Pentaglotto, p. 1435.* hic existimant timorem, quo Isaacus correptus fuit, quando Pater eum ligavit, ut in sacrificium eum offerret, ad unum omnes ferme dissentiunt. Nam *ille timor*, (ut cum PERERIO *in comment. in Gen. p. 817.* loquar) *non fuit arbitrarius, et voluntarius, sed plane naturalis, et ideo minime laudabilis, sicut nec vituperabilis: Timor vero Isaac, per quem iuravit Iacob, et, quem dixit, affuisse sibi, erat quid laudabilissimum, Deoque gratissimum,* Idem de ABEN ESRA habendum est, quando demonstrare conatur, Iacobum significare voluisse, timorem, innocentiam, et pietatem Patris sui, cui strenuam semper operam dederit, sibi profuisse, quo minus laesus fuerit a Labano, כי זכות האב תועיל לבן, quoniam innocentia Patris prodest Filio. Nobis interim ista potissimum hic arridet ratio, quam suppeditat PERERIVS *in comment. in Gen. p. 817.* Deum scilicet dici timorem, et terrorem, quod maxime timendus sit, summeque terribilis, non solum propter omnipotentiam, et iustitiam, atque inevitabilem scelerum vindictam, quarum rerum pavore plerique mortalium ad colendum Deum impelluntur: Verum etiam, et inprimis quidem, propter infinitam eius Maiestatem, quae reverentiam et venerationem exigit, quantam humanus animus maximam capere potest, imo vero infinitis partibus maiorem.

SECTIO II. MORALIS.

§. I.

Ex hoc itaque unico, quem praesens dissertatio sistit, loco solide adstrui posse confido illam perperam dudum a multis in dubium vocatum sententiam, num ne quis ad praestandum obstringi possit iuramentum: Iusiurandum enim rebus vel divino, vel humano iure prohibitis minime esse annumerandum, in propatulo est. Id quod a Doctoribus et Theologiae et Philosophiae moralis dudum est evictum. Conf. ALBERTI *in compendio iuris naturae, P. II. c. 6. §. 38. not.* DVNTE *in casibus conscientiae, p. 284.* DN. D. BVDDEVS *in elementis Philosophiae Practicae, P. II. c. 4. sect. 6. p. 293.* et, qui fuse hanc rem deduxit, SANDERSON *in libello, de iuramenti promissorii obligatione, praelect. 7. sect. 10. p. 235. 236.* qui legitimum iurisiurandi usum tum plurimis Scripturae S. exemplis, tum constanti quorundam po-

pulorum consuetudine, (qui ductu Luminis naturae, ad fidem firmandam, in civilis societatis commoditatem, iurisiurandi religionem adhibendam censuerunt, quo nullum potest esse legis naturalis indicium certius) tum a fine et natura iuramenti erudite adstruit. Quare non inerudite colligit BECHMANNVS *in annot. ad* DN. D. IOH. OLEARII *Theologiam moralem, p. 202. Cuius actus, principium, materia, et finis est bonum quid, is iure naturae non prohibetur: Talis autem est actus iurandi, quia provenit ex aestimatione, quam homines habent de Dei veracitate, omniscientia, infallibilitate, et iustitia; tale principium autem bonum est; Finis etiam bonus est, quia veritas iuramento elicitur, et litibus finis imponitur.*

§ II. Nec vero est, quod quis cum nonnullis extraiudicialia hic excipere velit iuramenta, quae a pio praesertim exigenda non sint, et, cum homo ante iam obligetur, prorsus intermittenda. Namque, quod ad prius attinet, quot non in hac rerum universitate reperiuntur, qui externe quandam prae se ferre videntur pietatem, interim, si interiora cordis penetremus, fucatam eandem, ac simulatam, omniumque scelerum plenissimam deprehendemus, ut adeo exinde pateat, nihil esse difficilius, imo impossibile esse, ex solo externo vultu sinceram colligere velle pietatem. Quinimo, etiamsi concedamus, sinceram facili negotio explorari posse pietatem, nihil exinde consequitur, siquidem iuramenta ipso Divino iure mandata sint, et nihil, quod vituperari possit, in se contineant: *Est enim iuramentum opus valde bonum, quo Deus laudatur, veritas, et iustitia confirmatur, mendacium refellitur, homines dissidentes in concordiam rediguntur, obedientia exhibetur, et lites componuntur*, fatente LVTHERO, *in catechismo maiore, explicatione praecepti 2. p. 420.* Et sic homines, licet pientissimi, a praestando iureiurando excludi minime possunt. Quod vero ad posterius: Homines iam antea obligari, quid exinde ab adversariis colligi possit, nondum perspicio, cum nihil prohibeat, quo minus huic maior adhuc addi obligatio queat, quae iureiurando obtineri plerumque solet. *Non ergo faciendum cum iis*, (ut verbis utar DN. D. NAEVII *intr. de iuramentis, P. I. c. 1. p. 8.*) *qui prorsus ab actu iurandi abstinendum iudicant; nec minus iuramenta in caussis extraiudicialibus, quando praesertim ad negotia privata spectant, damnant; vel etiam eius usum ad summum necessitatis casum restringunt. Testantur enim eo, quod ad mores Fanaticorum se accommodent, dum integritati vitae suae tantum tribuant, ut fidem suam testimonio Divino firmandam fastidiant. Nam si per abnegationem sui ipsius purgati, et deinceps intrinsecus illuminati, atque cum Deo, uti perhibent, uniti fuerint, perfectionem hanc Deificatam robur, et firmamentum fidei suae vix aegre admittere praesumunt.*

§. III. Hinc a veri tramite omnino aberrat, quisquis cum Celeb. Acad. Hall. ICto, DN. D. IOH. SAMVELE STRYCKIO, *in dissert. de eo, quod iniustum est, circa iuramenta extraiudicialia, c. 1. §. 14. p. 11.* etiam exigere tantum a vere Christiano iuramentum, peccatum esse asserit. Cumque in eo totus sit Celeb. ille Ictus in dicta dissertatione, (cum quo penitus consentit D. BOEHMERVS *in insti-*

institut. ad ius digestorum, tit. de iureiurando, p. 270.) ut extraiudicialia iuramenta, tanquam Christiano plane indigna e medio tollat, nostrum erit, ut argumenta eius sub examen revocemus, quidque habeant in recessu, modeste inquiramus. Et (1) quidem in his duobus locis, *Matth. V. 34. Iac. V. 12.* firmissimum sibi videtur invenisse praesidium, quo nisus, iuramenta in N. T. vult esse sublata. In priore loco maxime urget additam illam particulam ὅλως, et subiunctam clausulam: *Quod praeter haec est, a malo est*, quae clarissime indigitare putat, iuramentorum usum apud Christianos plane debere esse nullum. In posteriore loco haec praecipue verba: *Ne iurate, neque per coelum neque per terram*, NEQVE ALIVD IVRAMENTVM, sua facit: Sed, quod ad haec loca attinet, applicanda hic est tritissima illa regula Hermeneutica: *Multa in Scriptura S. dicuntur absolute, quae intelligenda sunt comparate.* Particulae enim universales saepe non extenduntur in infinitum sed ad subiectam restringuntur materiam. Sic et h. l. ὅλως quoad eos iurandi species, quae subiiciuntur, et sigillatim exprimuntur, accipiendum esse, in propatulo est. Demus namque illud dissentienti, ὅλως particulam universalem, ad omnia universaliter extendi oportere, non video sane, qua ratione haec loca, *1. Cor. IX. 22. X. 23.* idonee explicari, et ab incommodis necessario exinde resultantibus conclusionibus liberari queant. Quod vero iuramenta dicantur esse a malo, respondemus cum SIMLERO *in Exod. c. XX. p. 89. b.* illud concedendo; *si enim nulla essent in orbe mendacia, si nulla incredulitate, aut diffidentia laboremus, non opus esset iureiurando; sed, quod inferunt, non licere iurare, negamus consecutionem. Leges ex malo sunt, sicut dicitur, ex malis moribus bonas leges ortas esse; si enim sponte faceremus, quod bonum est, nulla lege opus esset, non tamen ideo consequitur, leges malas esse, neque licere illis uti: Eadem Medicinae ratio est.* Hinc B. CHEMNITIVS *in Locis Theol. P. II. p. 47. a.* observat, hanc responsionem Christi ex antithesi Pharisaicarum corruptelarum colligi quam optime posse. Quoniam scilicet *Levit. XIX. 12.* divinum Numen prohibuerat, ne iurarent in nomine suo ad mendacium; Pharisaei in ea erant sententia, ac si hoc ipso effato periuria tantum illicita esse assererentur, non vero iuramenta pro re levi, et vana. Id quod Salvator noster hoc ipso in oraculo reprehendit. Nitidissima sunt verba AVGVSTINI, qui *in lib. contra mendacium ad h. l.* ita commentatur: *Non iurate omnino, ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi veniatur, de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine in periurium decidatur.* Eadem est ratio cum altero illo loco Iacobi, ubi similiter limitate, et restricte, pro substrata materia omnia esse accipienda, vel ipsa Litera nos edocet. Conf. BROCHMANNVS *in syst. T. II. p. 33. et in comment. in Epist. Iacobi ad h. l.* Christus certe non venit, ut solvat legem, sed ut impleat; pugnaret enim hac ratione cum Deo Patre, quod hic approbet iuramenta, ille autem vetet. Namque etiam privati ad confirmandam veritatem iusiurandum adhibent. Exinde igitur probari non potest, iuramenta ab ipso Servatore nostro esse prohibita, cum et ille ut homo habuerit superiorem, verumque adeo praestiterit iusiurandum. (2) Hanc addit rationem, quamobrem omnia abolenda vult iu-

reiuranda, quoniam in statu innocentiae iuramentorum usus plane fuit nullus: Cum ergo per Christianismum iterum restauretur in nobis imago divina, cessare debere iuramenta, tanquam superflua. Ad hoc argumentum respondetur: Negando consecutionem. Non negaverim, in statu innocentiae iuramenta plane fuisse nulla; nec inficias iverim, per Christianismum imaginem Dei in nobis restaurari, vel, ut phrasi Biblica loquar, nos renovari ad imaginem Dei, licet in hac vita non perfecte, interim exinde minime inferri potest, abroganda etiam esse iuramenta. Eadem namque ratione concluderem: In statu integritatis non opus fuit petitione remissionis peccatorum, regeneratione, conversione, poenitentia, etc. ergo et hodie ea abroganda erunt. Ad angelicam enim nunquam in hac vita adspirabimus perfectionem, nec tantam, quantam in statu integritatis homo habuit, unquam in hac miseriarum valle consequemur, ut vana adeo sit argumentatio, et hodie abroganda esse apud vere Christianos iuramenta propterea, quod nullum ante tristissimum Adami lapsum invenerint locum. (3) Primitivam Ecclesiam a iureiurando plane abstinuisse, confidenter asserit, utque huic sententiae robur addat, ad Clementem Alexandrinum, et Iustinum Martyrem provocat, qui tamen seculo II. demum vixerunt. Sed quod horum testimonia concernit (α) Clementem Alexandrinum, atque Iustinum Martyrem saepe minus caute, commode atque dextre scripsisse, apud omnes in confesso est. (β) Nihil nos horum Autoritas permovet, cum nemo exstiterit e Patribus, qui non in aliquo saltem capite fuerit hallucinatus. Contrarium vero ex praxi Christi, *Ioh. XVI. 20. 23. coll. Ebr. VI. 14.* et Pauli, *2. Cor. I. 23. XI. 31. Phil. I. 8. etc.* dispalescit. Imo ORIGENES *sec. III.* qui tamen Clemente Alexandrino Magistro usus est, in Matthaeum, iuramenta licita esse ostendit. Sic et *sec. IV.* GREGORIVS NYSSENVS, iuramentum per se confirmare veritatem asserit. FULLERVS equidem *in Miscell. S. l. 1. c. 2. p. 24. seqq.* *Amen* non esse iurisiurandi formulam evincere allaborat, sed distinguendum hic cum GLASSIO *in Philol. S. p. 977.* inter solennem iurisiurandi formulam, et inter firmam asseverationem, iuriiurando ratione veritatis, et firmitudinis aequipollentem, qualis voce *Amen* omnino exprimitur. Nec enim ναὶ et ἀμὴν sibi invicem opponi debent, id quod ex *2. Cor. I. 20, Apoc. XXII. 20.* constat. Sic *Ebr. VI. 14.* diserte ἀμὴν iureiurandi speciebus annumeratur. (4) Denique obvertit: Non obstare exempla Patriarcharum, cum in V. T. multa fuerint permissa, quae sanctitas Novi foederis non permittat, uti et in polygamia, et in libertate divortiorum luculentum appareat exemplum, cum praesertim nusquam legatur, praeceptum esse iuramentum. Sed quod ad posterius illud attinet, omnino iuramenta ab ipso Deo praecepta esse, invictis Scripturae testimoniis probari potest, e. g. *Deut. VI. 13. X. 20. Psal.* XV. *4.* LXIII. 12. Quod vero prius concernit, polygamia, et divortiorum libertas in N. T. disertis verbis prohibita leguntur, id quod de iuramentis, cum dispar sit ratio, asseri nec potest, nec debet. Conf. ad h. l. POLYCARPVS LYSERVS *P. IV. comment. in Gen. p. 134.*

§. IV.

§. IV. Illud vero iam praeprimis nostram mereri videtur disquisitionem, ut nostram subiungamus ἐπίκρισιν, si diversarum religionum socii iuramenti vinculo copulentur, cuiusnam religioni iuramentum attemperandum esse censeamus. Hic autem et ratio, et ipsa iuramentorum natura, atque indoles requirit, ut eorum assurgamus sententiae, qui religioni iurantis omne conformandum esse iuramentum, non sine fundamento asseverant. Semper enim formula iurandi accommodanda est ad persuasionem, et religionem, quam circa Deum fovet, qui iurat. Fluit hoc ex fine iuramenti: Nam frustra quis adigeretur ad iusiurandum, per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit, ut recte hoc in possu monet THOMASIVS *in institut. Iurisprudentiae divinae, l. 2. c. 9. §. 111. 112. 113. 114.* Omnis certe iuramentorum vis, totaque foederum sanctitas e vestigio proscribenda foret, nisi huic subscribendum sententiae existimemus. Conferatur B. ROEHRENSEE *in positionibus quibusdam, de iuramentis, ex iure naturae decerptis, th. 6.*

§. V. Haec itaque cum immoto nitantur fundamento, ad eam satis amplam, quae iuramentum per falsos Deos praestandum paulo propius attingit, inoffenso merito pede progredimur controversiam, ubi primum ventilanda est quaestio, utrum iuramentum illud obliget respectu illius, qui iuramentum exigit, hic vero non possumus non, quin affirmativam tueamur sententiam, et eiusmodi iuramentum, respectu etiam Principis, Magistratus, vel Iudicis, illud exigentis, firmissime obligare asseramus. Et sane ipsa nos edocet ratio, rem aliter sese habere non posse. Omnis enim Magistratus, qui iuramento rem omnem vult expeditam, in ea est sententia, sanctissima, quam iurans agnoscit, omnem litem conficiendam esse asseveratione: Sanctior vero cum non detur asseveratio, quam quae fit per illud, quod iurans religiose colit, cuiusmodi est idolum; per se patet, nullam subesse rationem, quae Magistratum ab arctissima eiusmodi iuramenti obligatione excludere iure quodam possit. AVGVSTINVS *epistola 154. ad Publicolam* suum de hac quaestione iudicium laturus, difficiliorem eam putat, quae merito fortassis illam movisset, nisi luculenta de Isaaco et Iacobo exempla occurrissent. Quod ad illam vero quaestionem spectat, utrum iuramentum per falsos Deos praestitum, respectu iurantis obliget, eam quidem sententiam extra omnem dubitationis aleam positam esse crediderim. Obligat certe eiusmodi iuramentum ideo, quia ex erronea proficiscitur conscientia, dum iurans suum, quem colit, Deum, verum esse, atque omnipotentem existimat. Etsi enim Deus falsus sit revera non Deus; est tamen Deus opinione istius, qui iurat, quod sufficit, ad inducendam obligationem, et proinde tale iuramentum est ex hypothesi verum iuramentum, supposita scilicet erronea iurantis conscientia, quatenus tenetur in conscientia sua id praestare quilibet, quod secundum conscientiae suae iudicium iuramento firmavit, nisi duplex committere peccatum velit, uti egregie haec deduxit SANDERSON *l. c. p. 147. seqq.*

§. VII. Posteaquam igitur iuramentorum, per falsa Numina praestitorum,

et

et naturam, et obligationem evicimus, ea etiar
exigi posse, paucis nobis probandum incumbit.
et inprimis, quod per iuramentum idololatricu
tiae evitari possit, converti autem ad verum De
tra, cum quo res est, etiam idololatricum iuran
stianum posse, absonum non videtur, verba su
c. 13. v. 12. p. 363. Ingeniose haec deduxit *incom*
in nitidissimo suo in Genesin ad h. l. commentari
in V. T. ex Bibliotheca Iohannis, Archi-Episcop
TERGOODVM *editae, ad h. l.* et SEB. SCHMID
Iacobus non repudiat idololatricum Labani iur
Labanum religionem suam non mutaturum, n
ritatem suam religionis: Nec aliter res confici p
mundo vivimus, cetera Deo commendanda sun
ment. in Gen. P. IV. p. 135. Diis autem falsis eius
sed anima eius vincitur, et ad summum hac rat
monstratum a nobis fuerit, omne iuramentum
dum, in propatulo est, nihil prohibere quo mi
lolatra summo, summa conscientiae tranquillitat
RENSEE *in positionibus quibusdam de iuramen*
Nec enim ulla Dei lege prohibitum est, uti illius fid
iurat. Conf. AVGVSTINVS *Epist. 154.*

§ VII. Coronidis loco de iuramento pe
stant, ubi statim a pessima illa PHILONIS IVDA
temur, qui *in Operibus Exegeticis, libro de spec*
statim iurandum per Deum, quod nimium teme
mundum etc. Cum primis vero distinguendum
tenus est obiectum iuramenti, et quatenus est fi
iecti. Priore sensu creatura absolute, ultimate,
ea constituatur finis, et vis iuramenti, sine relat
modi iuramentum cum ALBERTI *in compendio*
SONIO, *l. c. p. 39. seqq.* ZIEGLERO ad GROT
citum esse pronunciamus. Posteriore autem s
ius tantum Creaturae mentio fit, ut: Si quis iur
am, licita quidem iuramenta per creaturam e
tamen scandali, et, quod mali speciem aliqua
modi formulis omnino abstinendum
l. c. consultius esse,

S. D. G

, ea etiam a quovis impio idololatra licite
incumbit. Quodsi enim perpendantur omnia,
lolatricum eversio tum Ecclesiae, tum poli-
verum Deum de praesenti non possit idolola-
cum iuramentum exigi per Principem Chri-
, verba sunt ZIEGLERI ad GROTIVM *l. 2.*
ixit *incomparabilis Theologus*, B. CALOVIVS
mmentario. Videantur quoque *Annotationes*
hi-Episcopi Ebor. per ANTONIVM SCAT-
. SCHMIDIVS *in comment. in Gen. ad h. l.* Sic
Labani iuramentum, quia scit, in sui gratiam
turum, non tamen mutatur, sed retinet pu-
s confici poterit, cum hominibus namque in
danda sunt. Conf. POLYC. LYSERVS *in com-*
falsis eius ne minimum hac ratione tribuitur,
im hac ratione obligatur. Et, cum antea de-
amentum religioni iurantis esse conforman-
e quo minus eiusmodi iuramentum ab ido-
ranquillitate exigere queamus. Conf. B. ROEH-
le iuramentis, ex iure naturae decerptis, th. 7.
uti illius fide in bonum, qui per falsos Deos male
4.
mento per creaturas nonnulla subiicienda re-
NIS IVDAEI sententia alienissimos nos profi-
bro de specialibus Legibus, p. 594. statuit, non
nium temerarium esset, sed per solem, tellurem,
guendum existimaverim inter creaturam, qua-
tenus est signum, effectus, seu correlatum ob-
ultimate, et terminative spectatur, ita, ut in
sine relatione ad Deum: Qua ratione eius-
ompendio Iuris Naturae, l. c. §. *40.* SANDER-
ad GROTIVM, *l. 2. c. 13.* §. *11.* simpliciter illi-
e autem sensu, ubi, tacito Dei nomine, alicu-
Si quis iuraret per caput, animam, salutem su-
aturam esse existimamus, propter periculum
em aliquam prae se ferre videatur, ab eius-
nendum esse, cum SANDERSONIO
tius esse, ducimus.

D. G.